V g
4667

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-261053-p0001-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-261053-p0002-7

9K. 209, 2

Vg 4667

EPISTOLA

PETRI BLESENSIS ANTE 400. ANNOS ſcripta, in qua ille pulchre depingit, quàm pie ac ſanctè Epiſcopi Eccleſiam Chriſti per ſuas harpyias regant & paſcant.

Item duo pulchra Philippi ſomnia, de Adiaphoricis Chriſti & Belial conciliationibus.

Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, inquit Chriſtus, & qui non colligit mecum diſpergit. Sic qui hoc tempore cum Chriſto & pro Chriſto pati non uolunt, cum Papiſtis, Interimiſtis & Adiaphoriſtis, ex quibus iam unus cœtus unaq; Eccleſia facta eſt, Chriſtum eiuſq; Eccleſiam perſequuntur.

M. D. LI.

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-261053-p0003-2
DFG

PETRVS BLESENSIS OFFICIAL
Epiſcopi Carnotenſis, Salutem, & ſalubre Conſilium.

QVia te affectuoſiſſimè diligo in uiſceribus I ſu Chriſti, propoſui te ſalutaribus monitis ad hortari, ut de medio Babylonis tẽpeſtiuius e eas, & miniſterium damnatiſſimæ uillicationis omitta Scio quod munerum cupiditas ſubuertit cor tuum, ut ſ eres Officialis Epiſcopi. Denique legeras, ſed fortaſſe n ligebas uerbũ illud beati Iob: Ignis deuorat tabernacu eorũ qui munera libenter accipiunt. Ideo beatus eſt q excutit manus ſuas ab omni munere.

Tota enim Officialis intentio eſt, ut ad opus Epiſco ſuæ Iurisdictioni commiſſas miſerrimas oues, quaſi ui illius tondeat, emungat, excoriet. Iſti enim ſunt Epiſcop ſanguiſugæ, euomentes aliorũ ſanguinem, quem bibcrũ Quia teſtimonio ſcripturæ diuitias, quas congregauit impius euomet, Et de faucibus illius extrahet illas DEus. Iſti ſunt quaſi ſpongia in manu prementis, diuitias ſui dominis influentes. Quod enim aggregant per oppreſſionem pauperũ, Epiſcopis quidem ad delitias cedit, ipſis uero ad tormentũ. Sic Epiſcopus quaſi longa manu bona aliena diripit, Et criminis notam à ſe remouens, Officialibus culpæ, & diffamiæ diſcrimen impingit. Ideoq; Epiſcopi quaſi ſub umbra iuſtitiæ palliatæ ſubditos opprimunt, Eccleſias grauant, alienos uiolenter inuadunt, oculos habent ad munera, Pupillo & uiduæ non intẽdũt.

Officium Officialiũ, quorũ te numero aggregaſti, ho di

die eſt,uitam confundere, ſuſcitare lites, transactiones reſcindere,ſupprimere ueritatem,fouere mendaciũ, quæſtum ſequi,æquitatem uendere, exactiones & uerſutias multipliciter & diuerſimodẽ committere,proijciũt multimodos & diuerſos laqueos in capturam pecuniæ,iura interpretantur ad libitũ, & ea pro uoluntate ſua nunc abdicant,nũc admittunt,bene dicta deprauant,prudenter allegata peruertunt, rumpunt fœdera, nutriunt ſimultates: fornicationes diſſimulant, matrimonia diſtrahunt, adulteria fouent,diffamant innoxios,& nocentes abſoluunt. Et (ut multa ſub uerborum paucitate concludam) dum omnia uenaliter agunt filij auariciæ, ſerui Mammonæ,ſe ſe diabolo uenales exponunt.

O amice in arena huius ſæculi periculoſiſſime pugnas,mors te ſequitur,uita fugit,caro palpat,mundus allicit,Leo rugiens,quærens quem deuoret, circumcurrit. Vtinam aduerſarius aduerſum te nihil haberet,quo te caperet aut teneret. Si mihi credis,imo ſi credis in Deum, relinque maturius Officialis officium,miniſteriũ damnationis,curam malorũ ſpirituum, & miſerere animæ tuæ, & placebis Deo, cui placere non potes in iſto perditionis officio.

EX QVADAM ORATIONE PHILIP. Mel. Anno 48. publicè Vuitebergæ recitata, cum maxime ab Achitophelibus, ut Adia phora fabricaret, urgeretur.

SIT igitur hæc quinta ætas, in qua Deus Eccleſiam iterũ per Lutherum ad fontes reuocauit. Eſtq́; tanta euidentia rerũ, quæ patefactæ ſunt, ut ſani omnes fateantur, doctrinam, quæ ſonat in Eccleſijs noſtris, uocem Euangelij eſſe. Nam & illi ipſi, qui iam nouis præſtigijs eam corrumpere conantur, hoc prætextu populo ſe commendant. Res easdem ſe afferre dicunt, tantum ritus quosdam externos, pacis & concordiæ cauſa reſtituendos eſſe. Hanc γοητείαν niſi adhiberẽt, nemo eos audiret. Sed uos qui in ſtudijs doctrinæ uerſamini, mementote cuſtodes uos eſſe doctrinæ cœleſtis, ac diligenter conſiderate, quod Deus nobis depoſitum per Prophetas, Apoſtolos, deniq́; & iam per Lutherum commendauerit.

Si ſunt res eædẽ, cur iſti agyrtæ turbant Eccleſias? Si non ſunt res eædem, fateantur nos neceſſariam habere cauſam, cur eis non aſſentiamur.

Non leuis res eſt mutatio doctrinæ in Eccleſia. E[t] hoc præſertim tempore ſtruuntur inſidiæ ueritati no[n] uulgari Sophiſtica, remouentur aliqui manifeſti abuſus, quos excuſare in hac luce Euangelij, ſumma eſſet impudentia. Interea tamen retinentur nerui, quibus confirmatis, ſtabiliuntur ijdem abuſus in alijs gẽtibus, & paulatim rurſus occuparẽt animos populi in noſtris eccleſijs.

Sed cum Sciamus quomodo prius in Eccleſia cult

idoloru

idolorum creuerit, initijs occurrendũ eſt, ut in omni medicatione præcipitur. Nihil aſtutè dico, nihil ſeditioſè, ſed moneo, ut neceſſe eſt, ut puritatem doctrinæ bona conſcientia tueamur, propter gloriam Dei, propter ſalutem eccleſiæ, & propter noſtram inuocationem. Dent ueniam nobis homines prophani, qui ignorant conſcientiæ dolores, Si non uolumus approbatione errorum ſauciare conſcientias noſtras, quia talia uulnera non facilè medicabilia ſunt.

SOMNIVM PHIL: MEL: NON CONFICTVM ſed uerè ita dormienti Ratiſponæ, hac ipſa ſpecie, ut ille poſtea his uerſibus breuiter deſcripſit, oblatum. Anno 1541. cũ itidem de nouis Conciliationibus Chriſti & Belial, ſeu potius de ueræ pietatis artificioſis corruptelis actum eſt. In quo plane ſuis ueris, uiuis & genuinis coloribus Adiaphorica iſta Pandora, uel potius infernalis furia depicta eſt.

ME iuſsere Duces fallacem pingere Hyenam:
Et monſtri ſpeciem propoſuere mihi.
Tetra erat ex uarijs moles confuſa figuris,
Tectaq; liuenti ſanguinolenta cutè.
Virginei uultus: ſed torua micantia flammis
Lumina ſeuiciæ triſtia ſigna dabant.
A collo gemini pendebant membra Draconis,
Scyllæ tandem pars erat ima pedes.
Horrebam aſpiciens: & toto corpore ſanguis,
Ac pene extincto ſanguine uita fugit

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-261053-p0007-4

Vt pingam tamen illi urgent, non obſequor: dio
Iratus, pingi non bene poſſe pedes.
Quo ruitis Proceres? quis mentes occupat error?
Cur templo infertis talia monſtra Dei?
Excutior ſomno, gelidus de pectore manat
Sudor, & e ſubito membra pauore ſtupent.
Non nihil hac moneor fortaſſis imagine: ſed te
Chriſte rogo, ut placidus pectora noſtra regas.

Monitus nimirum eſt hoc ſomnio Philippus, ut ſibi caueat ab iſtis impijs Chriſti & Antichriſti Conciliationibus. Verum ille quanquam primo ab iſto nephario ſcelere abhorruit, tamen tandem à Ducibus & Achitophelibus perſuaſus eſt.

ALTERVM SOMNIVM.

Nocte præcedente 14. diem Decembris, qua Theologi Iuterbachiũ profecti ſunt, ſomniauit Philippus ueniſſe ad ſe uicinũ quendam ſuum, qui militari habitu incedere ſolebat, ac rogaſſe, ut uelit ſuo nomine orare uitrarium, ut ei feneſtras quaſdam faceret. Id ubi ille, ut rogatus erat, effeciſſet, paulo poſt reuerſum eſſe uitrarium queribundum, interrogatumq́ quid accidiſſet, Reſpondiſſe, ille nebulo uoluit me ſibi Papiſticam Miſſam recitare, Num me talem hominem eſſe exiſtimat, qui uelim Papiſticam Miſſam recitare?

Id ſomnium ſic idem ſequenti die coram pluribus aliquoties interpretatus eſt, Iſte uicinus miles, eſt ipſe M

Vitrarius ſum ego. Petit à me M. ut ei feneſtram faciam, id eſt aliquid in ſpeciem, etwas zum ſchein/ Reuera autem quicquid agitur, eò tendit, ut Miſſa Papiſtica & Papatus reſtituatur.

Hic habes ipſius artificis, de ſuo opere ſententiam. Quid igitur amplius de iſtis præclaris actionib: dubitas? Vt taceam, quod ſomnia præſertim ipſius, diuinũ quiddam habere uideantur, fieriq́; poſſit, ut diuinitus monitus ſit de præſentium fraudum, quæ puritati Euangelij Iheſu Chriſti ſtruuntur, impio ſcopo, & peſſimo euentu.

EX LIBELLO PHIL. MEL. DE ECCLESIA.

Ezechias non ſolum ſuperſticioſas opiniones de æneo ſerpente correxit, ſed & ipſam ſtatuam deleuit. Ita pietas eſt cum impijs opinionibus ritus ipſos abijcere (iam contra eſt pietas eos inſtaurare, quia oportet tempori ſeruire) qui non ſunt proprie mores politici. Sicut ſcriptura præcipit idola deſtrui. Facile enim repullulant prauæ opiniones, ſi ritus ipſi maneant.

MAGDEBVRGI IMPRESSIT
Chriſtianus Rhodius, Anno Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo, decimo Martij.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-261053-p0009-9

Yg 4667 8°

N.C

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-261053-p0010-1

X 2206793.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-261053-p0011-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-261053-p0012-2

K. 209, 2

Vg 4667

EPISTOLA

TRI BLESENSIS ANTE 400. AN-
os ſcripta, in qua ille pulchre depingit, quàm pie
ac ſanctè Epiſcopi Eccleſiam Chriſti per
ſuas harpyias regant & paſcant.

Item duo pulchra Philippi ſomnia, de Adiaphoricis
riſti & Belial conciliationibus.

Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, inquit Chri-
us, & qui non colligit mecum diſpergit. Sic qui hoc
mpore cum Chriſto & pro Chriſto pati non uolunt,
m Papiſtis, Interimiſtis & Adiaphoriſtis, ex quibus
m unus cœtus unaq; Eccleſia facta eſt, Chriſtum eiuſq;
ccleſiam perſequuntur.

1351

M. D. LI.

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-261053-p0013-8